


M. P. C. P.



Valentini Thebani Gon  
v April 1618  
Francofurti ad Viadrā



Συὴ Θεω

QUÆSTIONUM THEOLOGICARUM EX EPITOME FORMULÆ CONCORDIÆ

DECAS VII.

De

COENA DOMINI.

PRESIDE

POLYCARPOLYSERO

SS. Theol. Licentiato & Profefs. Extraordinario,

RESPONDENTE

M. MARCO MATTHÆO, VVitteberg:

Disputabitur ad diem 19. Iunij horis pomeridianis.

VVITTEBERGÆ,

Excusa à JOH. GORMANO, Anno 1611.

QUESTIONE MATH. PRIMO.

DE CAS. VII.

COENA DOMINI

POLYCARPO YSERO

M. MARCO MATH. PRIMO.

EXCUS. A JON. GÖRMANO, Anno 1611.





## DISPUTATIO VII.

*Ex Epitome Libri Concordia,*

*De*

# COENA DOMINI.

## QUÆSTIO I.

An de Coena Domini hoc in loco  
differendum?

I.

**V**erè nihil tutum est adversus scyphanta morsum: Proposuit Formula nostræ Concordiæ causas satis graves, quæ necessitatem attulerunt, de hoc quoque articulo edendi Confessionem: sed hæc Calviniana gens sicco præterit pede, & tetras contradictiones hæc in parte nobis affingit.

II. Sic enim Neostadiensis in sua Admonitione c. 9. antilogia. 3: Prædicant, se declarare controversias, post mortem Lutheri exortas. Atqui negotium Cœnæ Dominicæ, paulo post initia reformationis cœpit controversari: & profitentur, ipsi scriptores Libri, se principaliter eum apponere Sacramentariis quos vocant. Non ergo continent se intra limites, quos sibi ipsi circumdant, &c.

III. Scimus sanè & ipsi, statim circa annum Christi 1522, à Carolo Iostadio certamen hoc Sacramentarium ipsi Lutheri motum, & à Zwinglio & assediis continuatum; Verùm his Formula Concordiæ hanc tractationem πρῶτως non opposuit.

IV. Manifestum enim erat, illos ab Augustana Confessione Anno 1530. Augustæ exhibitæ penitus alienos fuisse, atque talem eo tempore secessionem  
A 2 fecisse

fecisse, ut peculiarem ea de re confessionem offerrent : nihil ergo illi ad nos.

V. Fuerant autem alii quidam, qui Confessionis Augustanae religionem jactitarent, sed in hoc articulo non clam tantum & occultè, verum apertè etiam ad Sacramentarios defecerunt, & contra conscientie suae testimonium Augustanam confessionem (quasi ea cum Sacramentariorum doctrina in hoc articulo per omnia faceret) violenter in alienam sententiam pertraxerunt, eamque hoc modo depravarunt : cum his res est Nostrae Concordiae, horum fraudibus & insidiis occurrit, & veram nostrae confessionis sententiam à corruptelis illorum vindicat.

VI. Rectissimè ergo Nostrae Concordiae Autores fecerunt, quod hujus gravissimi articuli opus Jodoxiav asserere, genuinam tam verborum Christi, quam Augustanae Confessionis sententiam, de hoc negotio repetere, & falsorum fratrum clancularias machinationes, displodere voluerunt.

VII. Debebant hoc tum auditoribus suis, qui admonendi, ut à pestilenti illo errore, quam diligentissimè sibi caverent, tum pia, si qua futura posteritati, ad quam sinceritas doctrinae etiam hoc in articulo, quantum in illis, transmittenda erat : ne illa vel seduceretur, vel de nostra sententia dubitare inciperet.

## Q U A E S T I O II.

Quis sit verus controversiae status inter nos & Sacramentarios ?

III. Ad solidam hujus status constitutionem primum sciendum est, duo esse Sacramentariorum genera. Quidam sunt admodum crassi, hi perspicuis verbis id apertè profitentur, quod corde sentiunt : quod videlicet in Cæna Domini nihil amplius, quam panis & vinum sint praesentia, ibiq; distribuantur & ore percipiuntur.

IX. Sic enim Zvinglius, contra Confessionem Lutheri, asserit, in cæna nihil esse praeter panem & vinum : Et Calvinus, defensione secunda, affirmat, ore nostro praeter signum (panem) nihil accipi.

X. Beza dimensionem locorum instituit, in colloq. Mompel. p. 44, tanto corpus Christi à nobis intervallo abest, quanto beatorum ille sedes

des supra omnes caelos à terra absunt. Suffragatur Johannes Piscator in 3. volum. disputat. p. 458, qui non vult aliquam corporis Christi cum pane praesentiam concedere: neq; referre quicquam putat, sive adsit corpus Christi, ut in prima caena, sive absit, ut post ascensionem in caelos.

XI. Et hi omnes remouent corpus Christi, à symbolo Sacramenti, ab actione Sacramentali, ab ipsis communicantibus, imò in uniuersum à tota caena; Menzerus.

XII. Alii sunt versuti & callidi, & quidem omnium nocentissimi Sacramentarii: hi de negotio caena Dominica loquentes, ex parte nostris verbis splendide utuntur: & pra se ferunt, quod & ipsi veram praesentiam veri, substantialis atque vivi corporis & sanguinis Christi in caena credant: eam tamen praesentiam & manducationem dicunt esse spiritualem, qua fiat fide.

XIII. Explicanda ergo est propositio; corpus Christi est praesens sensu Cryptocalviniano hoc modo: Per subjectum, corpus Christi notatur vel diuinitas, per communicationem Idiomatum: vel efficacia & virtus corporis, vel ejus symbolum & figura, per metonymiam. Praedicato vero, praesens est, innuitur praesentia vel *χρησιν*, qualis signi ad signatum: vel virtualis, qualis solis ad haec inferiora, vel memorialis, per recordationem: vel spiritualis per fidem, qua in caelum evolat: vel etiam contemplativa, quatenus in caelo corpus Christi contemplamur, de qua eo quid cogitamus.

XIV. O Egregiam corporis Christi absentiam (praesentiam debebam dicere) o explanationes perversissimas! Nos quaerimus de sacra caena, qua in his terris peragitur, illi in caelo eam celebrant: nos de vera veri corporis praesentia loquimur, illi de praesentia infinitae Deitatis, vel divinae virtutis, vel terrenorum elementorum respondent.

XV. Quid hoc aliud est quam DEVM & homines ludere, & aliud in corde sentire, aliud lingua profari: sed protrahendi sunt isti lucifugae, ut quam occultant opinionem, in lucem proferant.

XVI. Hoc ut fiat, hunc ponimus statum controversiae: An in sacra caena verum corpus & verus sanguis Domini nostri Jesu Christi vere & substantialiter sint praesentia, atque cum pane & vino distribuantur & ore sumantur ab omnibus illis, qui hoc Sacramento utuntur, dignis & indignis, fidelibus & infidelibus, a fidelibus quidem ad vitam, ab infidelibus ad iudicium.

XVII. Ad hunc directè ut respondeant volumus, (fraudes enim & imposturas ante nos atas nihil moramur) quod si fecerint, audiemus, quod præter panem & vinum, nihil amplius in Cæna Domini præsens esse & ore sumi statuunt: & hoc est quod crassi illi Sacramentarii fatentur, & quod nos modis omnibus impugnandum & oppugnandum censemus.

### QUÆSTIO III.

An verba Institutionis fundamenti loco, in hac controversia habenda, eaque κατὰ τὸ πῆλὸν accipienda?

XVIII. Ἀπὸ τῶν Calvinianorum refutanda est, καὶ ἀπὸ τῶν Lutheranorum stabilienda: fundamentum ergo oportet ut habeamus firmissimum, quo hæc astruatur, illa destruat,ur.

XIX. Calviniani illud nobis monstrare volunt in cap. 6. Johannis, ubi de carne sua comedenda, & sanguine bibendo prolixè agat Christus.

XX. Quam manducationem & bibitionem admittimus; sed eam Sacramentalem esse, qualis in sacra Cæna à Christo instituta, nunquam concedemus. Alia enim est manducatio oralis, quæ in Cæna præcipitur, alia spiritualis quæ fidei est & Johannis 6. cap. commendatur: inter has, quam ingens discrimen sit faciendum, quæstio octava docebit.

XXI. Quo etiam temporis facit notatio: constat enim ex historia Evangelica, quod Dominus cænam hanc Sacramentalem integro demum anno post instituerit; quomodo ergo fundamentum illius erit? Neque est quod excipiant, per modum vaticinii hic de cæna agi, quia textus aperte reclamant, de tali manducatione agens quæ etiam Patribus Vet. T., nisi illos salvatos fuisse negaverimus, tribuenda est.

XXII. Et licet Patres quandoque hoc caput ad Cæna negotium traduxerunt, non tamen eo fecerunt animo, ut ἀπὸ τῶν Sacramentariam confirmarent; sed quia utrobique ejusdem carnis & sanguinis Christi sit mentio, atque sic unius ejusdemque cibi ac potus; à re autem ipsa, ad modum rei non ita temerè licet concludere: eundem cibum & potum utrobique Patres agnoverunt; sed non eundem modum manducandi & bibendi tradiderunt.

XXIII. Paulus autem Apostolus aliud monstrat fundamentum hujus articuli; Verba institutionis: juxta hanc regulam doctrina de  
cæna



cæna Domini examinanda, & controversia oborta decidenda sunt, cuius rei exemplum legere licet. 1. Cor. II, 23.

XXIV. Pessima ergo est Sacramentariorum methodus, qui prius ex aliis scriptura locis, iusq; alienis constituunt, quid de cæna Domini sentire velint, tum demum ad verba institutionis accedunt, & præconceptam opinionem violenta interpretatione in illa verba intrudunt.

XXV. At inquirunt, verba cænae sunt ipsum τὸ κενώμενον, de quorum interpretatione litigatur, quomodo ergo fundamentum esse possunt?

XXVI. Ita quidem audio, & verissimum hoc esse apud illos credo, sic enim Victorinus de seipso testatur: dextro oculo respicio ad religionem omnium temporum, sinistro verò intueor verba cænae.

XXVII. Et effectus testatur de sua causa; quot enim & quàm variæ sunt, & quidem contrariæ illorum expositiones, quibus verba cænae mutilant & everiunt, scilicet quia verbum Dei, quod in omnibus & semper sibi simile, seponunt, ut suas sequantur adinventiones.

XXVIII. Verum nobis verba Cænae nullo modo sunt κενώμενον, agnoscimus enim esse verba ipsius Christi filii Dei, à fidelibus ejus amanuensibus fideliter annotata, & quidem verba Institutionis sacrosanctæ cænae, quod ne Calvinianus quidem negare poterit.

XXIX. De mente autem & sensu horum verborum litigari à perverfis ingenis, cum dolore conquerimur; hic sensus τὸ κενώμενον est, & quaestio circa quam versamur: aliud autem est lex, aliud Mens Legis, aliud verba institutionis, aliud sensus illorum verborum: nos τὸ πῆλον urgeamus verborum, illi διὰ νοίας querunt, & nos tanquam præposteros interpretes repudiant.

XXX. Sit sanè nostrum πῆλον rationi humanae absonum & absurdum: nobis verò, qui intellectum nostrum captivavimus in obsequium Christi, perquam necessarium videtur, ne à τῷ πῆλον discedamus.

XXXI. Verba enim hæc 1. verba Testamenti sunt, verbis autem claris & perspicuis mentem suam testatores proponere solent: 2. sunt verba Testamenti novi, quod reali Christi sanguine sancendum; sicut vetus hircorum sanguine sancitum fuit.

XXXII. 3. Tropus etiam nullus ab Evangelistis monstratus, sed potius admirando suo consensu nostram confirmant sententiam. Neminem enim Pium civis ὁφείλη, qua in altera parte Lucas & Paulus utuntur, offendet, cui B. Lutheri aurea catena nota est.

XXXIII.

XXXIII. 4. Neque etiam τὸ ῥηθὲν in ullum aliquem Christiane fidei articulum revera impingit, sed optimus consensus & mutua confirmatio hic cernitur.

XXXIV. His ita stantibus, tutissimum erit, cum Prophetia scripturae non sit privata interpretationis, 1. Pet. 1, 20, & ῥηθὲν verborum Coenae retinere, & in eo acquiescere.

#### QUÆSTIO IV.

Utrum illi, qui utuntur particulis in, cum, sub pane & vino, à τῷ ῥηθὲν verborum Coenae discedant.

XXXV. Τὸ ῥηθὲν verborum Coenae, urgendum & retinendum diximus, imò argumentis longè evidentissimis comprobavimus; quae ergo impudentia & audacia est Sacramentariorum, quae clamitant, nos τὸ ῥηθὲν verborum Coenae deserere.

XXXVI. Huic suo effato fidem ex inde facere volunt, quod praeter illas phrasas, quibus Christus & Paulus utuntur, alias etiam loquendi formulas usurpamus, quales sunt: Panis est corpus Christi, item: in pane, cum & sub pane est corpus Christi.

XXXVII. Sed res est expedita: Prior Propositio Luthero usitata, Panis est corpus Christi, opposita ab ipso est Carolostadio & aliis, qui per pronomen HOC in verbis Christi, solum corpus Christi notare somniabant.

XXXVIII. Haec ipsa etiam realem corporis Christi praesentiam mirificè confirmat, praedicatur enim panis de corpore non ἁπλῶς sed μυστικῶς, non per se, sed propter unionem sacramentalem, quae facit ut haec duae res in se diversae, ad unum constituendum tertium concurrant, & tam arctè copulentur, ut ubi unum unitorum, ibi alterum quoque sit necesse est.

XXXIX. Posteriores, loquendi formulas, non sine gravibus causis Ecclesiae retinuerunt, quas Formula concordiae p. 735. recenset.

XL. 1. Ne Pontificiorum Transsubstantiationem Calviniani nobis affingere possent; duas enim res in Coena agnoscimus, ita unitas, ut una sit in altera, (nec una mutetur in alteram) non quidem localiter, sed sacramentaliter, hoc est, quod pane porrecto, una adsit & porrigatur etiam Corpus Christi.

XLI.

XLII. 2. Ut docerent Sacramentalem unionem substantiæ panis non  
mutatæ & corporis Christi. Est enim panis corpus Christi non  $\chi\epsilon\tau\iota\kappa\omega\varsigma$ ,  
sed sacramentaliter, sive panis est medium, quo exhibetur corpus Christi  
presenter, ita ut cum pane ore simul accipiatur.

XLIII. 3. Scriptura in unionis hypostaticæ mysterio declarando  
à vocabulis hæc non abhorret: ad eandem enim modum hoc dictum, Ver-  
bum caro factum est, Joh. 1. 14. repetit & declarat equipollentibus  
propositionibus. Joh. 1. 14. & habitavit in nobis. Col. 2. 9. in ipso inha-  
bitat tota plenitudo divinitatis corporaliter. Act. 10, 38. Deus erat cum  
illo. 2. Cor. 5, 19. Deus erat in Christo. 1. Tim. 3, 16. Deus manifestatus  
est in carne. Licet verò diversissimi sint unionis modi, hic personalis, ille  
Sacramentalis: tamen multi ex erudita antiquitate, hac similitudine  
(de persona Christi) mysterium Sacramenti cœnæ Dominicæ explicarunt,  
vide F. C. p. 736.

XLIII. 4. Multi etiam Patrum his ipsis particulis usi sunt, quos meri-  
tò sequimur, quia Christum sequuntur: sic loquitur Augustinus ad Ne-  
ophytos: Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce: hoc accipite in  
calice, quod effusum est de Christi latere.

XLIV. 5. Audiam etiam Augustinam Confessionem artic. 10.  
à qua nos usurpatione harum particularum discedere garrunt, Vom A-  
bendmal des HERRN wird also gelehret / das der ware Leib und  
Blut Christi warhafftiglich unter der gestalt / des Brodts und  
Weins im Abendmal gegenwertig sey / etc. Item q. Apologiam p.  
157. bis consistentem, quod corpus & sanguis Christi verè exhibeantur cum  
illis rebus, quæ videntur, pane & vino, &c.

#### QUESTIO V.

An in Cœna Domini corpus & sanguis  
Christi, verè sint præsentia &  
quomodo?

XLV. Quando de præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna que-  
ritur, duo hæc distinctè consideranda sunt: Voluntas & Facultas Chri-  
sti: an velit corpus & sanguinem exhibere suum, & an id etiã possit præsta-  
re. Prius ex verbis institutionis unice definiendum; Posterius ex articu-  
lo de Persona Christi decidendum est.

B

XLVI.

**XLVI.** Voluntatem Christi his elicimus argumentis: 1. Quod Christi  
sicut apostolos hic in terra accipere, manducare & bibere iussit, illud etiam  
verè præsens exhibuit. Sed Christus corpus suum pro ipsis traditum, & san-  
guinem suum Novi T. pro ipsis effusum hic in terra Apostolos accipere, com-  
dere & bibere iussit. Ergo illud verè præsens exhibuit.

**XLVII.** 2. Si panis fractus est *κωικωικα* corporis, verè & substantialiter  
præsens sit necesse est. Sed prius verum, 1. Cor. 10, 16. E. & posterius.

**XLVIII.** 3. Qui manducando & bibendo reus sit corporis & sanguinis  
Christi, is illa manducasse & bibisse, & propterea ipsi præsentia fuisse re-  
vera dicendus; sed Impij manducando & bibendo rei sunt corporis & san-  
guinis Christi 1. Cor. 11, 27. E.

**XLIX.** 4. Duae contradictoriae non possunt esse simul verae. Haec Propo-  
sitiones: Edite, hoc est corpus meum, quæ Christi est; & Edite hoc non est  
corpus meum, quæ illorum est qui *ατωγοικα* asserunt, sunt contradictoriae.  
E. non possunt simul esse verae, sed altera falsa erit, non Christi, qui verax,  
sed Calvinianorum, qui mendaces.

**L.** Nec Facultatem promissa explendi Christo deesse demonstra-  
mus. 1. Christus est Deus & homo in unitate personæ inseparabilis, & in-  
divisus. Christus DEVS est ubiq<sup>3</sup>, E. etiam quæ homo; quia ubicunq<sup>3</sup> Chri-  
stus est, ibi totus est, si verò ubiq<sup>3</sup> est: etiam in sacra Cæna esse potest.

**LI.** 2. Quicquid sedet ad dexteram Dei, illud ubique su necesse est:  
quia ipsa dextera est ubiq<sup>3</sup>. Christus ratione humanitatis suæ verè colloca-  
tus est ad dextram DEI, Marc. 16, 19, Hebr. 1, 3. E.

**LII.** 3. Verbum DEI non est falsum aut mendax. Verba autem in-  
stitutionis, in quibus corporis sui præsentiam promisit, sunt Verba Filii Dei. E.

**LIII.** 4. DEVS varios habet modos, quibus alicubi esse potest, neque  
ad unicum localem, quem vocant, alligatus est; potest ergo pro sua potentia,  
quia vult, corpus Christi modo illocali in Cæna præsens statuere.

**LIV.** Verum hic tumultuatur spiritus Calvinianus, absurdè colli-  
gens; si adesset verum corpus, utiq<sup>3</sup> videri & palpari posset. Sed miseri ho-  
mines, 1. rem cum modo rei confundunt. Præsens esse piè credimus;  
modam præsentia piè ignoramus.

**LV.** Nec tamen Lutherum damnamus, qui definitivè corpus ad-  
esse more spirituum sentit. Est enim non tantum spirituale, sed etiam di-  
vina maiestate exornatum corpus erectum ad dexteram Dei? Accedit ta-  
men insuper unio Sacramentalis panis cum corpore Christi, quæ non ex mo-  
do isto præsentia definitivo, sed ex promissione Christi, uniq<sup>3</sup> dependet.

LVI. 2. Essentialia ab accidentalibus non distinguunt: *Videri sentiri accidunt corpori, non constituunt essentiam corporis, quia neq, materia ejus sunt, neq, forma.* 3. *Opponunt  $\epsilon\omega\alpha\lambda\lambda\eta\lambda\alpha$ , actum & potentiam: esse visibile & palpabile, & actu videri & palpari.*

LVII. 4. *Elenchum accidentis committunt: est corpus Christi visibile, sed glorificatis non animalibus & carnalibus; nulla .n. hic est proportio inter instrumentum & objectum.* 5. *Christus etiam in coena suo corpore nostris coessentiali non adest, ut illud palpandum & spectandum nobis sistat; sed ut in admirabili mysterio, sub pane nobis manducandum praebeat.*

### QUAESTIO VI.

An consecratio sit causa praesentiae corporis & sanguinis Christi in Coena?

LIX. *Veram veri corporis & sanguinis Christi in sacra Coena praesentiam astruximus; jam causam illius praesentiae inquiremus.*

LIX. *Calviniani non tam Verbum, quam fidem corpus & sanguinem Christi praesentia sistere statuunt, sed sine omni Verbo Dei id statuunt, hoc autem ubi non est, ibi nec fides ulla esse potest.*

LX. *Pontificii consecrationi, hoc est, recitationi verborum institutionis, & cum primis pronuntiationi quatuor illorum verborum; Hoc est corpus meum, magicam quandam vim inesse statuunt, qua substantia panis transeat in substantiam corporis Christi, & praesentiae illius corporis causa sit. Sed absurda haec sunt Theologica, quibus pluralitas corporis Christi introducitur, & majestas creationis creaturae attribuitur.*

LXI. *Quae licet verissima sint, quidam tamen Augustanae Confessionis addicti Theologi, plus aequo consecrationi tribuerunt, & quam proximè ad Pontificios accesserunt, statuendo; quod unio sacramentalis pendeat ex vi ac virtute recitationis verborum institutionis, eamq, durare non tantum in usu, sed etiam extra usum sacramenti.*

LXII. *Verum his opponenda regula B. Lutheri: Nihil habet rationem Sacramenti, extra usum divinitus institutum: Unio ergo sacramentalis non fit, nisi in usu, quo durante, durat, cessante, cessat.*

LXIII. *Ceterum nos soli omni potenti virtuti Domini nostri Jesu Christi causam praesentiae tribuimus, cuius verba, non in prima tantum illa Coena, efficacia fuerunt; sed illorum vis, virtus, efficacia hodie adhuc durant, & praesentiae illius causa sunt,*

LXIV. Et si vero pronuntiatio Verborum presentiam illam non efficit in usu tamen Coenae Dominicae verba institutionis Christi nequaquam omitterenda, sed publica recitanda esse, credimus.

LXV. 1. Propter mandatum Christi; Hoc facite Matth. 26. & Paulus dicit 1. Cor. 11, 26: Quotiescumq; feceritis, mortem Domini annuntiabitis. 2. ut elementa ad sacrum usum benedicantur & sanctificentur, sicut scriptum: Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? 1. Cor. 10, 16. Illa autem benedictio fit per recitationem verborum Christi. 3. Ut auditorum fides de substantia & fructu Sacramenti, per verba Testamenti excitetur & confirmetur.

#### QUÆSTIO VII.

Quæ sit sententia regulæ: Nihil habet rationem Sacramenti extra usum divinitus institutum?

LXVI. Opposuiimus hanc regulam iis Theologis, qui recitationi verborum unionem sacramentalem, eamq; extra usum quoq; durabilem attribuerunt: Verum cum Calviniani præter mentem Autoris, imò contra eam interpretari illam soleant, vera ejus sententia diligenter notanda fuerit.

LXVII. Per usum enim istum fidem sumentium illi intelligunt, ac sentiunt, impiis, quia fide carent, summionem Coenae non esse Sacramentum, nec participes fieri corporis Christi, quod tantum spiritualiter per fidem manducatur.

LXVIII. Sed subdola est hæc interpretatio; fides enim sicut essentiam Coenae non ingreditur, nec eam constituit, ita nec Sacramentum Coenae facit esse Sacramentum; hoc enim pendet à verbo Dei & institutione Christi, neque sumentis incredulitas quicquam derogat Sacramento, aut substantiam ejus mutilat.

LXIX. Aliter voculam hanc (usus sive actionis) Lutherus autor hujus regulæ & Orthodoxi usurpant, eoque notant totam visibilem actionem sacrae Coenae, quæ in consecratione seu recitatione verborum institutionis, distributione & summione consistit.

LXX. Extra hunc usum affirmarunt, nihil habere rationem Sacramenti; quando enim consecratus panis vel in missa offertur, vel includitur, vel circumgestatur, aut adorandus proponitur, Sacramenti rationem habere nullo modo potest.

LXXI.

LXXI. Ex sensu Orthodoxo hujus regula, judicium facimus de regula Augustini. Accedat verbum ad Elementum & fiet Sacramentum: quæ in usu & actione Cœnæ verissima, extra usum autem th. 69. notatum minime admittenda.

LXXII. Agnovit hoc etiam inter scholasticos Bonaventura, qui sensit, quod non sufficiat intentio consecrandi absolute, sed oportet quod sit conformis sententiæ Sacramentum instituentis. Unde si Sacerdos vellet panem consecrare, ut Sacramento uteretur in beneficiis, &c. non conficeret. Irritum enim putatur Sacramentum, Hugo de S. Victore, si contra institutionem celebratur.

### Q U Æ S T I O I X.

Quæ sit forma sacræ Domini Cœnæ?

LXXIII. Materiam hactenus Sacramenti Cœnæ vidimus, panem & vinum, corpus & sanguinem Christi: restat ut de forma hujus Sacramenti agamus.

LXXIV. Hæc Calviniani constituunt Analogiam sacramentalem, quæ consistit in mutua & scilicet seu relatione signi ad rem signatam, eaque sic explicant: sicut panis & vinum conservant vitam hominis, pellunt sitim & famem, exhibent cor &c. ita corpus & sanguis resciunt animam.

LXXV. Verum facultas naturalis, non est officium sacramentale. Sed dare famem & sitim, exhibere cor, est facultas naturalis panis & vini, Psal. 104, 15. E. non est officium sacramentale. Si vero non est sacramentale, neque etiam pertinet ad formam Sacramenti.

LXXVI. Et quod cuilibet panis & vino extra Cœnam hæc competant, ex quotidiano apud omnes homines usu constat: Imò non ad saturitatem hic sumimus (ut habet Canon Nicenus) sed ad sanctificationem: ideoque si quis esurit, domini manducet, 1. Cor. II, 34.

LXXVII. Potens ergo comparatio similiū hic concedenda, quæ res spirituales per res naturales illustratur, quæ analogia sacramentalis approbata.

LXXVIII. Nec tamen propterea veterum Ecclesiæ doctorum propositiones rejiciamus, qui panem signum & figuram corporis Christi dixerunt, Non enim panis figura est corporis absentis, quod Calviniani volunt, sed presentis & quidem ex consequenti, quod patres statuerunt.

LXXIX. Geminum enim est symbolorum sacramentalium officium; primum esse medium exhibitionis: secundarium esse signum exhibitionum & sacramentaliter unitorum: Corpus enim Christi pane quasi vestitur, nec immediate sed figura panis quasi velatum manducandum exhibetur.

B 3

LXXX.

}:— Dicastr.

LXXX. Veram autem Sacramenti hujus formam statuimus esse, actionem peculiari verbo Dei determinatam, & in institutione expressam, circa materiam Sacramenti hujus propriam: per hanc enim actionem sacramentum est quod est & ab aliis distinguitur.

LXXXI. Actio, autem consistit in duobus, in  $\delta\acute{o}\sigma\delta$  &  $\lambda\eta\psi\delta$ . In  $\delta\acute{o}\sigma\delta$  duo spectanda; 1. Consecratio, quæ est panis & vini ad sacrum usum separatio, sanctificatio, & benedictio. 2. distributio, qua benedictus ille panis & vinum datur communicantibus,

LXXXII. Cui distributioni inservit fractio panis, ideoq; ad eam referenda, neq; pro principali, sed ministeriali actu Sacramenti habenda, non secus ac infusio vini in poculum, inservit distributioni vini.

LXXXIII. Distinctè autem hi actus circa materiam Sacramenti versantur. Consecratio, qua separatio, occupatur in solo pane & vino: qua verò benedictio, in pane & vino, corpore & sanguine Christi unientis. Distributio verò circa panem & corpus, vinum & sanguinem unita, versatur.

LXXXIV. In  $\lambda\eta\psi\delta$  itidem duo actus notantur. 1. Acceptio panis consecrati & vini benedicti; sive autem manu accipiat, & ipse ori admoveat, sive ore ex manu ministri sumat, libera hoc maneat observationis. 2. Illius manducatio, hujus bibitio, non ore fidei, sed corporis, ut sequens edocebit questio.

#### QUAESTIO IX.

Utrum manducatio corporis Christi in coena tantum sit spiritualis?

LXXXV. Manducationem & Bibitionem actus esse sacramentales coenam sacram sumentis thes. 84. dictum: quid etiam manducandum & bibendum sit quaest. 5. explicatum: iam oritur questio de modo manducationis & bibitionis.

LXXXVI. Calviniani spirituales: nos sacramentalem manducationem defendimus, spirituale ad usum sacrae coenae pertinere statuentes.

LXXXVII. Paucis ergo demonstrabimus; Manducationem corporis Christi in sacra coena, quoad substantiam consideratam esse sacramentalem, oralem vel corporalem: & Calvinianos, dum pro spirituali manducatione pugnare videntur, nullam omnino veram corporis manducationem concedere.

LXXXVIII. In initio tamen tollenda æquivocatio vocis spiritualis,  
quæ



que etiam de manducatione sacramentali quandoq<sup>3</sup> usurpatur, sed lata in  
significatione, propter unionem sacramentalem rei terrena & celestis, qua  
quia neq<sup>3</sup> naturalis est, neq<sup>3</sup> ratione nostra comprehendi potest, spiritualis,  
mystica & arcana dicitur. Nobis vero spiritualis manducatio ea est, que  
solum fidei.

LXXXIX. Hanc spiritualement non esse sacramentalem, diversa in utraq<sup>3</sup>  
manducatione corporis Christi acceptio & fructio ostendit.

XC. In spirituali enim manducamus corpus Christi, 1. sine symbolis,  
2. sola fide, 3. una actione corpus & sanguinem Christi, 4. tantum ad sa-  
lutem, 5. soli credentes, 6. omni tempore, 7. respicit illa virtutem corporis,  
8. & simpliciter necessaria est ad salutem.

XCI. In sacramentali autem accipimus corpus Christi, 1. median-  
tibus symbolis pane & vino, 2. ore corporis, 3. sigillatim, cum pane corpus,  
cum vino sanguinem, 4. sepe ad exitum, 5. etiam indigni, 6. possunt ea  
carere, qui se probare non possunt, nec continua est, sed habet sua distincta  
& certa tempora, 7. respicit corpus Christi ratione substantie, 8. neq<sup>3</sup> sim-  
pliciter necessaria; juxta illud: crede & manducasti: tantummodo cave-  
atur, ne ex negligentia aut contemptu id fiat.

XCII. Manducatio ergo hac mediantibus symbolis, ore corporeo fiet?  
Omnino: quacumq<sup>3</sup> enim in uno eodemq<sup>3</sup> Sacramento, eademq<sup>3</sup> actione  
unita sunt sacramentaliter, ea uno quoq<sup>3</sup> eodemq<sup>3</sup> instrumento percipian-  
tur necessum est; nisi unionem sacramentalem ob instrumentorum diver-  
sitate in ipso usu Sacramenti dirimere voluerimus.

XCIII. Atqui panis & corpus Christi, vinum & sanguis Christi, in  
eodem Sacramento, eademq<sup>3</sup> actione sive usu legitimo, unita sunt Sacra-  
mentaliter. E. ea uno quoque eodemq<sup>3</sup> instrumento percipiuntur necessum  
est, hoc est, ore corporis, quia Panem & Vinum ore corporis accipi, ne Cal-  
viniani quidem negare possunt.

XCIV. Oralis autem manducatio duplex est: Naturalis, que vel  
communis omnibus hominibus, vel Capernaitica: & Sacramentalis,  
hoc est respondens unioni Sacramentali: Naturalis hic non fit manduca-  
tio, quia ea, que in Sacramento instituta, Ecclesie propria est, & extra  
eam locum non habet, id quod de naturali dicere non possumus.

XCV. Et licet Panis naturaliter manducetur; tamen distinguendum  
id quod naturale est in pane, ab officio sacramentali: hic enim non solitarie  
consideramus panem & naturaliter, verum in Sacramento corpori Christi  
sunt.

XCVI.

XCVI. Sacramentalis ergo est, quia una eademque actione panis & corpus sacramentaliter unita, ore accipiuntur & manducantur, juxta institutionem Christi.

XCVII. Dices: Nullamne ergo spirituale corporis Christi admittes manducationem in Coena? Respondemus, spiritualemente manducationem Coenae propriam non esse, quia etiam praedicationi & Baptismo communis est; a coena tamen & salutari ejus fructu nullo modo excludenda.

XCVIII. Calviniani vero nullam veram & realem corporis Christi manducationem in Coena, sive sacramentalem sive spiritualemente admittunt.

XCIX. Non sacramentalem; quae illis est manducatio non corporis Christi, sed panis, qui signum corporis; quidam etiam aperte scribunt, corpus Christi non posse manducari sacramentaliter, quia non sit Sacramentum.

C. Non spiritualemente; quia manducatio sacrae Coenae propria sacramentalis est, quae distinguitur a spirituali, ipsis Calvinianis attestantibus, & absurdum statuentibus, si quis dicat sacramentalem manducationem comprehendere & corporalem & spiritualemente manducationem simul.

#### Q U A E S T I O X.

Quid nam indignè manducantes accipiant in Coena?

CI. Questio gravis & explicatione digna, sed nos chartae angustia coacti contrahamus ad haec tria.

CII. 1. Sciendum quinam indignè manducant? non qui infirmè in fide sunt, sed qui se non probant, hoc est, sine vera poenitentia & fide manducant. Dignitas enim convivarum, neque ex magna vel parva, firma vel infirma fide, vel ex virtutibus nostris, externa vel interna preparatione pendet, sed in merito Christi vera fide applicato consistit.

CIII. Quid autem tales accipiunt? Ratione substantiae unum & eundem cibum ac potum accipiunt digni & indigni, hoc est, cum pane corpus, cum vino sanguinem Christi. Quicumque enim alicujus rei peragitur reus edendo & bibendo, in illam edere & bibere necesse est. Indigne manducantes rei peraguntur corporis Christi, quod in manducatione & bibitione non discernant corpus Domini, 1. Cor. 11. 29. Quare certum illos in Coena manducare & bibere corpus & sanguinem Domini.

CIV. 3. Sed quomodo illa sumtio cedit indignis? sibiipsis iudicium edunt & bibunt, 1. Cor. 11, 29, quia non expendunt mysterium hoc porrecti corporis & sanguinis Domini in Remissionem peccatorum. Licet autem corpus Christi vivificum sit, impiis tamen in iudicium cedit: est enim vivificatio actio voluntaria, quam etiam intermittere agens potest, praesertim si objectum habile non sit & idoneum. Probes ergo homo seipsum, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, ut ipsi in salutem cedat aeternam.

F I N I S.

822 A 33

ULB Halle 3  
001 586 408




Sb

EO-Ry  
03.10.1

DM7







© ΕΩ  
M THEOLO-  
EPITOME FOR-  
NCORDIÆ

S VII.  
DOMINI.

IDE  
OLYSERO  
tiato & Profefs.  
nario.

ENTE  
ATTHÆO,  
erg:

m 19. Iunij horis  
nis.

ERGÆ,  
ANO, Anno 1611.

